ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

De ASELLO, ad C. Hugenium.

Non mihi quadrupedem designas, Scriptor, Asellum,
Quem sibi Graecizans nuncupat Hellas ὄνον.
Namque Asinos quoque Tellus habet, fert aequor Asellos.
Sed quos Tellus habet, quos mare, sunt ἄποδες.
Tu bipedem vides, quem si non dicere doctum,
Ὠκεανὸς, curat dicere Πουρανός.

Itane, mi Hugeni, si inter nos ἀμοιβὴ fiet literarum cum Asello ea fiet! itane eam luctam interpretaberis, et non potius alloquium τελεοειδὲς καὶ εὐπροσήγορον? Offendit me non parum illa tua ταπείνωσις, qua te Asello isti cognominem facis. aut si Asotorum κοινότητα esse velis, dicam non congruere personae tuae. Quod si tamen hanc ipsam appellationem me benignè interpretari velis, nempe, ut innuas, non magis te mutum esse, quam
Asellus iste, quem videtis hospites
Consarcinare fasciatim Epistolas;
condonabo ingenio tuo eruditam catachresin. nec exprobrabo eam ultra, quia admiscuisti acumina, et humiliter nimis de te sentiendo allusisti non iniucunde, illepidève. A mutis piscibus proverbium torqueri in silentiarios (horum etiam meminit Justinianus tuus) equidem scio. Scio et illud, Asellum istum ἐπισοδικώτατον à piscium natura et Principum silentiariis quam longissime abire. Sed ab istorum hominum ordine secerni te volo, vel tuomet iudicio, cuius oratio minime sterilis est, aut levibus ac inanibus sonis eloquentiam corrumpit. Ventosae loquacitatis voces illis linquamus, tibi solidae eruditionis debemus. Battologiam illi sibi vindicent, modo tu flumine largo
Plenus, Pierio defundas pectore verba.
Saturnalia aut potius Bacchanalia nunc agimus: ideoque de ASELLIS jocularia scribi minime nefas puto. Asellum mare habet, sed & terra. alter spinas, alter amicos numerat: alter aquis, alter epistolis gaudet: alter natat, alter amat: alter friget, alter calet: alter sale condiri amat, quia cum viveret, animam pro sale habuit, alter sapientiae succo

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 46
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/583

immortalitatem affectat: alter infra, alter supra petit: alter spirat, alter respirat: alter comedi amat, alter comedit: alter caudatus est, alter togatus: alter coctus placet, alter doctus: alter T Scridi, alter T Scmidi sacer: alteri terra, alteri mare inimicum: alter, si vetus sit, sapit minus, alter aetate sapit magis. Vale Vir praestantissime ac doctissime, et hoc tempore ineptienti ignosce. Literas et elegantia responsa elicere dum studuisti, elicuisti nugas. Lugd. Batavor. IV Non. Mart. CIↃIↃCXXXI.

Nob. Tuae
Studiosissimus
C. Barlaeus.

Quod in Vitruvium Midam strinxisti
Epigramma, acutum est et succulentum.

B

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 46
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/583

Aen mijn Heer,
Mijn Heer Constantinus Huijgens
Ridder, Heer van Zuilichem, Secretaris
van sijn Hoogh. Excellentie,
woonende in de nieuwe Houtstraet

Hague.

port

5. Mart. 31.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 46
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/583